



OSITA una tantum Viperæ ser-
 pentis specie ex differentia propria;
 cum ex ipsa natura, tum ex Aristo-
 tele, cui jam dudum ex observatio-
 ne diligentissimo sibi innotuerat,
 cum ab Alexandro ad hoc negocium recte ex-
 pediendum de animalium natura decem ser-
 vorum millia per tot annos acceperit; quis
 modo feret Albertum Magnum viginti septem
 Viperarum species proferentem? Et speciem
 pro summo genere assumpsisse pariter non si-
 ne errore existimandum est, Sed hæc opinio
 explosa jam fuit: quoniam sola Vipera animal
 parit, & observatione innotuit Aristoteli. Æ-
 lianum verò Historicum magis quam Philo-
 sophum hæmorrhoum & cerastem, Viperae
 speciem esse ex Nicandro atulisse novimus, &
 diapsadem cum Aëtio Viperae speciem esse cõ-
 clasisse, quæ cum absurda sint omnia, & apud
 vulgus notissima minime admittenda judica-
 mus. Nonnulli aspidem ova intra se parere
 confirmarunt; ex aliorum sententia; etiam
 asseruit Collenutius, nec discors fuit Virgilius,
 Marcellus, nonnulli etiam assensere; verum
 Nicander multiq; alij, qui Ægyptum peti-
 re, aspidum & crocodili ova ab Ichnevmo-
 ne frangi, & sub terra penitus abscondi atte-
 stantur: propterea Aspide Vipera esse nõ potest.